



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Conradi Oligenii J. C. Dissertatio De Primariis Precibus  
Imperialibus**

**Corradini, Pietro Marcellino**

**Friburgi Brisgoiae, 1707**

XIV. In Concilio Tridentino extinctæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63022)

*Dissertatio.* 19  
ritas fieri; quis unquam arbitrabitur licitum esse Augustissimis Imperatoribus mandata de providendo ad vacatura Beneficia sibi usurpare, immo & jussu super his dare, Electoresque compellere minis & pœnis, non dicam Precibus, ad conferendum Beneficium primo vacaturum, & quod Precista elegerit? Hoc quidem pacto fieret, ut Germani id, quod Præsulibus omnibus, & Summis Romanæ Ecclesiæ Antistitibus permisum haud esse proclamarent, licuisse, & licere putarent laicis Imperatoribus, & Principibus, quorum commendationes, vel molestas Preces in electionibus damnaverunt: quod procul dubio paradoxorum habet imaginem.

Cum vero decretis Conciliabuli Basileensis, postquam illud damnaverat Eugenius Papa IV., Romana Curia, & Orbis Catholicus non pareret, factum est, Abligatos Cæsareos, & Caroli Francorum Regis ad Concilium Tridentinum missos, iterum atque iterum contra harum gratiarum usum exclamasse, sic instantes; *Mandata de providendo, Expectativa, fiduciaria resignationes, Commenda revocentur, & tanquam sacris decretis contrarie ab Ecclesia omnino arceantur;* quod narrat idem Goldastus tom. III.

XIV:  
In Concilio Tridentino extinctæ;

IIIX

Supra, & infra  
modis suis  
prohibetur  
et in  
omni re  
prohibetur

20 De primariis Precibus Imperialibus  
Constitut. Imperial. pag. 570., & 571.  
in principio num. 20., & 21. Hinc Pa-  
tres Concilii, quibus cordi erat hos po-  
pulorum clamores sedare, in sequelam  
Precum prædictarum ab Ablegatis Cæ-  
sareis, & Regis Galliæ porrectarum, ita  
sess. 24. cap. 19. statuerunt: *Decernit san-  
cta Synodus mandata de providendo, &  
gratias, que Expectativæ dicuntur, nemini  
amplius, etiam Collegiis, Universitatibus,  
Senatibus, & aliis singularibus Personis,  
etiam sub nomine Indulti, aut ad certam  
summam, vel alio quovis colore conce-  
di, nec hætenus concessis cuique uti licere:  
sed nec reservationes mentales, nec alia  
quæcumque Gratia ad vacatura alicui etiam  
ex sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus  
concedantur, hætenus concessæ abrogatæ  
esse censeantur.* Hæc Tridentini Patres,  
qui damnarunt Expectativas, mandata  
etiam de providendo vacatura, & sic  
prima Beneficia quæ vacassent, reserva-  
tiones mentales, quibus Pontifices sole-  
bant reservare Beneficia in genere vaca-  
tura, & sic primo vel secundo vacatu-  
ra, ut Personis gratis providerent, nulla  
expressa certa Persona, ut refert Gonzal.  
ad reg. 8. Cancellariæ §. 1. proem. n. 76.  
& sequentibus; & de his non contenti  
damnarunt omnes, & quascumque alias

gratias, in quibus quomodolibet de vacaturis disponeretur, ut prosequitur Gonzalez loco jam adducto n. 80.

Quare si instantibus Germanis, Gallisque, omnes gratiæ, & concessiones Beneficiorum vacaturorum in genere, vel in specie, facta vel non facta designatione certæ Personæ, per cujus obitum Beneficium vacare contigisset, à Tridentina Synodo irritæ factæ sunt, inhibitumque Indulta concedere, & concessa abrogata, itaut quanquam Romani Præsules, quorum potestas conciliarem excedit, si vellent hæc gratias concedere, possent; nihilominus ii post Concilium rarissime super his indulgere consueverint in obsequium tantorum Patrum, testimonio Gonzalez loco jam relato num. 70. & sequent., Loth. lib. 2. de Benefic. quæst. 25. num. 4. & 5., nemo sane affirmabit permissum idem esse laicis Principibus, quod tam solemniter in Oecumenica Synodo sibi inhibuerunt Summi Romanæ Ecclesiæ Præsules, nedum Germanis Imperatoribus, quorum vox hæc semper fuit, ut talia ab Ecclesia arcerentur, utpote sacris Canonibus adversa; nisi dicendum sit, Synodicas constitutiones, quæ juxta Germanorum omnium opinionem hujuscemodi concessiones

XV.

Indulta super  
vacaturis sub-  
lata.